



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum de suffragijs ferendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

Continuatio secundæ sessionis.

A Prandio stata & indicta hora continuata est sessio. Et primùm postquam Illustrissimus Archiepiscopus in Basilicam Metropolitanam venit, ubi eappa indutus, vesperarum, & completorium officium peregit unâ cum toto clero urbano, & diocesano, Pontificalibus paramētis indutus de mōre in sessionalem locum descendit, & stata prece de Spiritu sancto, Adsumus, perorata, omnibus ordine confidentibus, & indicto silentio, delectus, & deputatio examinatorum, & iudicum facta est.

Decretum de suffragijs ferendis.

Suffragiorum, quæ per compromissarios de examinatoribus, ac iudicibus ferenda sunt, recognitioni præfecimus M. Reueren. D. N. Decanum, & Reueren. Do. N. Canonicum ordinarium nostræ Ecclesiæ Metropolitanæ.

Accedant igitur compromissarii ad eos cum schedulis suffragiorum.

Suffragia dentur schedulis impressis, quæ notata habeant nomina examinatorum, & iudicum, & literam A. ab una, quæ erit nota approbationis.

Venerunt autem compromissarii, ad præfectos, apud quos in mensam singuli schedulas inuolutas approbationis, & reprobationis coniecerunt.

Et dū schedularum ratio accuratè per præfectos supputabatur, de mandato Illustrissimi Archiepiscopi, vocatio, & scrutinium Cleri diocesani factum est, ad præscriptum tabellæ, & decretorum promulgatorum in sessione præcedenti.

Decretum de continuanda vocatione, & scrutinio Cleri.

Qui nunc vocabuntur, ad Illustriss. Archiepiscopum rectè accedant, & iuxta decretum in alia sessione promulgatum, ad præfectos recognitionis certis capellis dispositos recta via accedant, quibus Breuiaria & Calendaria ex præscripto exhibeant.

Postea de examinatorum, & iudicum delectu, actum est.

Instantia promotorum de Examinatoribus, Iudicibus, Testibus Synodalibus, & Punctatoribus euulgandis.

Illustriss. ac Reuerendiss. in Christo Pater, & Domine.

VT Synodaliū actionum promotio, & progressio, pro nostri muneris ratione, rectè atque ordine fiat, illud petimus, & instamus, vt examinatores, & Iudices, hoc mane ex auctoritate Illustriss. Amplitudinis vestræ Synodo propositi, & nominati, & omnium quorum intereſt, suffragiis secutis probati, iam demum vt moris est, de suggestu euulentur: testes que Synodales, ex veteri instituto, & Canonum iure, Concilijque provincialis Decreto, viri probati ab eadem amplitudine vestra Illustriss. in vrbe & diocesi deligantur: Punctatores item ex decreto Synodali de mōre constituentur: qui omnes de suggestu pronuncientur: Tabella denique casuum reseruatorum ex præscripto Concilij Tridentini euulgetur.

Examinatores, & Iudices probati sunt, & de suggestu denunciati & his verbis.

Examinatores à nobis in sessione Synodo propositi, & nominati, compromissariorum suffragijs maiori parte probati, sunt ij sexdecim.

Iudices uerò in Synodū relati, & maiori suffragiorum parte probati, sunt hi sex.

Singuli nominati sunt.

Examinatoribus, & Iudicibus pronunciatis, Testes Synodales, Punctatores, & Tabella casuum reseruatorum de suggestu iussu Illustrissimi Archiepiscopi promulgata sunt.

Decretum de testibus Synodalibus habetur supra Syn. dioc. vj. decr. 7. pag. 75.

Decretum de casibus reseruat.

Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis Archiepiscopus &c.

Quoniam expedit pro temporum varietate casuum reseruatorum ab